



**Philippi Ecclesiæ Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiæ Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philip *<Eichstätt, Bischof>***

**Ingolstadii, 1617**

Cap. XXXV. Ratio de oleo stillante, de quorundam Sanctorum membris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](#)

*Obserua lector  
mirum quid  
dam.*

oleum tantæ munditiæ ac meracitatis exi-  
flit, vt sine omni corruptione, & fœda ma-  
culationis feculentia per ducentos annos  
seruatum, consimilis puritatis inuenitur,  
cum illo, quod hodierna die de stillicidio  
eiusdem sacræ emanationis suscepimus est.

## CAPUT XXXV.

*Ratio de oleo stillante, de quorundam  
Sanctorum membris.*

**N**unc videamus, qui sibi vult per si-  
gnificationē emanatio olei in beata  
VValpurga, vel aliis sanctis, puta in B.Nico-  
lao, vel B.Catharina, vel quibuscunq; san-  
ctis concessum est, ex speciali prærogatiua  
meritorum, & ostensione magnitudinis  
præmiorum. Iuxta quod sciendum, quod  
oleum cuicunque liquori infusum super-  
natat: vnde misericordiam ex similitudine  
designat: superexaltat enim misericordia  
iudicium. Et item: Misericordia eius, super  
omnia opera eius. Oleum nihilominus ma-  
gnæ est lenitatis, & multæ utilitatis; nam  
illuminat, pascit, & sanat. Sic pietas secun-  
dum

*Iacob. 2.*

*Psal. 144.*

*Proprietates  
olei.*

<sup>1. Tim. 4.</sup>

dum B. Apostolum, ad multa proficiendo  
valet; habet enim promissionem vitæ, quæ  
nūc est, & vitæ futuræ. Hinc etiam est, quod  
oleum cordiale pietatem sua proprietate  
exprimit. Et ideo de Sanctorum corpori-  
bus sacri olei emanatio plenitudinem exu-  
berantis misericordiæ, ac redundantiam  
viscerosæ pietatis, ac lenitius mititatis præ-  
tendendo figurat. Fuerunt namque hi san-  
cti, qui habent scaturiginem emanationis  
sacri olei, misericordissimi ac piissimi in vi-  
ta: & ideo misericordiam consecuti per si-  
gna misericordiæ & pietatis hominib' post  
mortem laudabiliter innotescunt. Sic bea-  
ta V Valpurgis Virgo, tanquam oliua in do-  
mo Domini fructuosa, & quasi oliua in  
campis Ecclesiæ speciosa, per oleum effu-  
sum dilatauit nomen suum. Riuulo enim  
suæ sacræ emanationis, notitia sanctitatis  
eius deriuata est in fines terræ, oleo miseri-  
cordiæ & pietatis illuminans cæcos, spiri-  
tualiter & corporaliter pascens esurientes,  
in bonis pro affectu sancti desiderij, ac cor-  
pore sauciatos sanans, contritis corde me-  
detur.

<sup>Car ex quorū-</sup>  
<sup>dam Sancto-</sup>  
<sup>rum corpori-</sup>  
<sup>buo oleum stil-</sup>  
<sup>let.</sup><sup>Psal 51.</sup>  
<sup>Eccles 24.</sup>  
<sup>Cant 1.</sup>

Hæc

<sup>Psal 146.</sup>

Hæc quæ de B. VValpurgis translatio-  
nē ac sacri olei emanatione dicta sunt, licet  
post mortem B. VVillibaldi facta inueni-  
antur; tamen per anticipationem eadem  
enarrauimus, vt per omnia exoccupati, ad  
ea, quæ de B. VVillibaldo fideliter referen-  
da sunt, liberius occurramus.

## CAPVT XXXVI.

*De uniformitate spiritus B. VVillibaldi  
cum Domino post transitum fra-  
tris sui, & sororis.*

**G**itur postquam B. VVillibaldus v-  
nicum ac pauperem, nec non minus  
egenum, id est, extra genus suum, positum  
se conspexit; & postquam nec habens pa-  
trem nec matrem in terris, nec fratrem nec  
sororem, extra solum natalis patriæ absque  
omni solatio cognationis consistere se a-  
gnouit; totus in Deum pergens vnuis spiri-  
tus conformitate voluntatis fit cum illo,  
die ac nocte ipsi per amorem suauiter in-  
hærens, contemplatiua vitaloco deliciarū  
paradisi fruebatur, & deificis immissioni-  
bus